



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IV. Altera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

IV.
Altera.

Nec modò non exeunt malis suis, qui obluſtantur, ſed ea per ipſam obluſtationem augent: & impatientiam, quæ triftitiæ genus eſt, cordique dolorem imprimi, aliis doloribus ſuperadjiciunt. Febricitans, quantumlibet ſeſe in lecto convolvat, febrim non excutiet, imò agitatione magis accendet. Latro à fatellitibus comprehenſus, ſi obſiſtit, manicas præterea patietur, & pedibus pulſabitur, & nodofos ſtipites ſentiet. *Laqueos, inquit Seneca libro de Conſol. ad Helviam, fera, dum jactat attingit. Aves viſcum dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum jugum eſt, quod non minus lædat ducentem, quàm repugnantem.* Aiunt medici, cùm venenum ab animali epotum eſt, cor, quod illo maximè petitur, intumeſcere, agitari, poros calore diſtendere, ut ſe defendat: & ea ipſa defenſione venenum citiùs ad ſe trahere, atque intrò ſuſcipere. Ita impatientes, niniã adverſùs dolorem repugnantia, & commotione, plus doloris concipiunt, aditumque illi ad cordis intima aperiunt.

Narrant,

Narrant, Agefilao Spartanorum Regi, arthritide vexato, Carneadem Philosophum affuisse, & ne molestus esset, sermonem abrumpere, & abire voluisse: at illum ostensis manibus ac pedibus primum, dein cordis fede, dixisse malum illuc esse, huc autem nondum penetrasse: itaque assideret, & confabularetur. Longè aliter cum impatientibus agitur, quibus majus malum à mali odio, quàm ab ipso malo est: & qui optimè dicere de se possint, quod alià sententiâ Tobias, *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cali non video?* Quid lætitiæ illis erit, qui Dei providentiam, per calamitates ad æterna ducentem, non adspiciunt?

V.
Tertia. Crescit infortunatorum hominum infelicitas ex eo, quod ingentem thesaurum meritorum impatientiâ suâ miserè prodigi perdant. Quantum miles inter vulnera, aulicus inter indignitates quotidianas, ancillæ & servi inter dura imperia, artifices in laboribus, quilibet hominum in suis calamitatibus, *lucri cum Deo.*